Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



mar

cū sēdiciosis erat vinctus qui ī seditione fecerat homicidium. Et cū
ascendisset turba cœpit rogare ut faceret sicut semper faciebat illis. Pilatus autē respondit illis et dixit. Vultis dimittam vo-
bis regem Iudæorum? Sciebat enim quia per invidiam tradidissent eum summi
sacerdotes. Pontifices autem commoverunt turbam ut magis barabban
dimitteret eis. Pilatus autem iterum respondens ait illis. Quid ergo
vultis faciam regi Iudæorum? At illi iterum clamaverunt. Crucifige eum.
Pilatus autem dixit eis. Quid enim mali fecit? At illi magis
clamabant. Crucifige eum. Pilatus autem volens populo satisfacere
dimisit Barraban et tradidit Iesum flagellis cæsum ut cru-
cifigeretur. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii et con-
vocabant totam cohortem et induunt eum purpuram et imposuerunt ei plecten-
tes coronam de spinis et cœperunt eum salutare dicentes. Ave
rex Iudæorum. et percutiebant caput eius arundine et conspuebant eum
et ponentes genua adorabant eum. Et postquam illusserunt ei exu-
erunt eum purpura et induerunt eum vestimentis suis et educunt illum
ut crucifigerent eum. Et angariaverunt prætereuntem quempiam Simon
Cirenæum venientem de villa patris Alexandri et Rufi ut col-
leret crucem eius. Et perducunt eum in Golgotha locum quod est mons Cal-
varie locus. et dabant ei bibere mirratum vinum. et non accepit.
Et crucifigentes eum diviserunt sibi vestimenta eius mittentes
sortem super eis quis quid tollet. Erat autem hora tertia. et crucifixerunt
eum. Et erat titulus causæ eius inscriptus. Rex Iudæorum. Et cum eo
crucifixerunt duos latrones unum a dextris et alium a sinistris
eius. Et adimplenta est scriptura quæ dicit. Et cum iniquis deputatus est.
Et prætereuntes blasphemabant eum. monentes capita sua et dicentes.
Vah qui destruis templum dei et in triduo reædificas. salvum fac
temetipsum descendens de cruce. Similiter et summi sacerdotes illudentes
ad alterutrum cum scribis dicebant. Alios salvos fecit seipsum non potest
salvum facere. Christus rex israhel descendat de cruce ut videamus
et credamus. Et qui cum eo crucifixi erant conviciabantur ei. Et factum
hora sexta tenebræ facte sunt super omnem terram usque ad horam nonam.
Et hora nona clamavit Iesus voce magna dicens. Heli heli
lamazabatani. quod est interpretatum Deus meus ut quid
me dereliquisti. Et quidam de astantibus audientes